



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

30. Feria 3. Domin. 3. Epiph. In omnibus non meum commodum, sed Dei
beneplacitum quærendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 2. Dom. 3. Epiph. 51

denda sunt: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. &c. Pl. 42.

Cons. 3. Subtiles quosdam errores, sub ratione veri contentos. 1. Putantium se rem bonam fecisse, ut Saul: Imò audivi vocem Domini. 1. Reg. 15. 2. Utentium titulo puritatis, us Ahas: Non petam, & non tentabo Dominum. Isai. 7. 3. Volentium ineptè imitari Sanctos, ut Jephthe Abrahamum. 4. Recusantium honorifica pertinaciter, ut Petrus lavari pedes. Joan. 13. 5. Præferentium necessitatem, ut Saul necessitate sacrificans, postmodum audire debuit, stultè se egisse. 6. Prætextus charitatis, ut ille silentij tempore infirmum loquendi gratia visitans, à Crucifixo audivit. Non placet mihi ista charitas. 7. Prætextus devotionis, ut ille habens donum lacrymarum in officijs culinæ, è quibus ut devotioni vacaret, liberari petens, dono lacrymarum spoliatus fuit, deinceps non recuperato. Hi septem errores, quia ex inordinato appetitu etiã circa res sanctas procedunt, facile persuadent arborem amoris proprij errorum originem radicitus evellendam.

MEDITATIO XXX.

Feria 3. Dom. 3. Epiph.

In omnibus non meum commodum, sed Dei beneplacitum querendum.

C 2

Aspi-

Aspiciam D. IESVM Manu, oculis, ore
in cœlum intentum, eoque me excitantem.
Petam ei obsequi.

Conf. 1. Si regnum Dei est gloria DEI benedicti, is quæret primum regnum DEI, quod bonum opus intentione bona fecerit. Intentio optima omnium est, si cuius principium medium, & finis fuerit per IESVM. Hæc est optima omnium occupatio consequendi bona, quæ sunt in Christo, de cuius plenitudine omnes accepimus. Ioan. 1. Nullum enim bonum, quod ab eo non procedat: nam considerati in statu naturæ lapsæ, omnia bona spiritualia habemus à Christo quæ homine, per cuius humanitatem ea nobis omnia divinatus est operatus.

Conf. 2. Ut in omnibus Prima intentio mea sit regnum, seu gloria Dei per Christum obtinenda, necessarium est antè, ut abneget gloriam meam, & gustum, imò & me ipsum, quia bona intentio extirpat omnem inordinatam amoris proprii appetitionem. Quæ res, cum sit in vita Christiana omnium difficillimum bellum domesticum, impellam me ad renunciandum mihi, & quærendam puram gloriam Dni in omnibus, eò amplius quò præstantior est finis medijs: melior enim sanitas, quàm medicina, sapientia quàm studium, messis quàm aratio, victoria quàm præ-

prælium, portus quàm navigatio, dominus
ædium quàm domus, bona corporis quàm
bonæ fortunæ, bona animi, quàm bona cor-
poris, bona gratiæ, quàm naturæ, bona cæli,
quàm terræ, bonum denique supremum Deus,
cui cellata reliqua omnia nec bona sunt, nec
pulchra sunt, nec sunt. Unde concludam cum
S. Laurentiolum Justiniano, Lib. de casto connub.
c. 6. *Stupeat cælum, clamet terra & omnis crea-
tura, miretur, quod hominem plus allicit creatura,
quàm conditor, plus labor, quàm requies,
plus mors quàm vita, plus media, quàm finis.*

Conf. 3. Quânam praxi regnum Dei in
omnibus per Christum quærere possim. Cer-
tum est, quod virtutes non sint omnes meri-
ti æqualis: ut enim plus est expugnâsse ho-
stem, quàm mensam Principis bene instru-
xisse, sic Deus magis æstimat actum heroicum,
quàm abstinentiam unius diei. Itaque major
virtus majus efficiet meritum: *major autem
est charitas* 1. Cor. 13. in hac me exercebo u-
nicè, ut faciam omnia Dei amore, quia est,
qui est: juxta illud D. August. in Ps 26. *Quid-
quid mihi vult dare Deus, auferat totum, & se
mihi det*: hoc simplici oculo totum corpus
operum lucidum & gloriosum erit, ut esse de-
bet; quia ex mente D. Ambrosij, ser. de Ascens.
D. *Ideo Christiani facti sumus, ut semper de fu-
turo seculo, & æterna beatitudine cogitemus, plus
pro anima quàm pro corpore laboremus.* ME-